

DE

**SENATUS ROMANI PRUDENTIA.**

SCRIPSIT

**FR. CRAMER.**



SENATUS ROMANI PRUDENTIA

»Summum est populi Romani, populorumque et gentium omnium  
ac regum consilium, senatus.«

Cic. or. p. dom. XXVIII, 73.

SCHNEIDER

JR. GRAMER

## De senatus Romani prudentia.

Qui vel antiquitatis vel recentioris temporis historiam omnium gentium, quarum quidem notitia ad nos pervenit, consideraverit, nullius civitatis reperiet consilium publicum, quod maiorem apud posteros adeptum sit gloriam maioremque eorum excitet admirationem, quam senatus reipublicae Romanae, qua aut imperii magnitudine, aut institutis nulla fuit clarior. Etenim quod fuit unquam consilium virorum qui reipublicae administrandae praefuerunt, auctoritate, amplitudine, constantia, consilio, prudentia et in domesticis rebus et in externis gerendis tam illustre, ut Romano senatui par existimari possit? Qui adeo illis virtutibus floruit, ut ne in Graecis quidem, quos et rerum gestarum gloria et magnorum virorum copia et litteris disciplinisque cernuisse constat, quosque ipse Cicero, amantissimus suae patriae scriptor, doctrina et omni litterarum genere Romanis dicit praestitisse<sup>1)</sup>, ulla invenitur civitas, cuius consilium publicum cum Romanis possit conferri. Atque ex omnibus rebus quibus senatus Romanus insignis fuit, sane primo loco habenda est singularis illa prudentia, qua praeditum eum fuisse videmus. Quo in genere quum ad Romanas res gerendas tum ad exterarum civitatum res ad suum ipsius arbitrium regendas et ad subiiciendas imperio suo gentes fere omnes miro regebatur consilio iudicioque, iisque utebatur artibus, quibus subtiliores nemo meminerit unquam esse inventas, inventum iri in posterum equidem non existimo. Quam ob rem neque iniucundum esse arbitror neque inutile hanc rem accuratius tractare atque senatus Romani prudentia quanta fuerit copiosius exponere. Itaque primum disseram de iis artibus, quibus senatus ad regendum populum ac plebem usus sit, deinde qua ratione totum fere terrarum orbem in potestatem suam redegerit exponam.

Senatus Romani originem non minus esse antiquam quam ipsorum regum inter omnes constat: quare Romulus, primus Romanorum rex, senatum instituisse dicitur. Commune hoc erat plurimarum urbium antiquarum, imprimis Latinarum, ut consilium virorum gravium et annis et auctoritate iis adesset qui res publicas gubernabant. Revera id contigit Romanae quoque civitati, ut ex antiquissimis temporibus potestati regiae optimorum virorum, senatus, adiuncta esset auc-

1) Tusc. disp. I, 1, 3.

toritas. Reges singulos senatores creabant, non arbitrio quidem suo, sed rationem habentes curiarum gentiumque quibus tum populus constabat, ita ut senatum Romanum tamquam delectos et nobilissimos e gentibus patriciis haud immerito dixeris. Numerum senatorum, quum Ramnensibus Titius Luceresque essent adiecti cum iisque in unum populum coaluissent, ad trecentos fere crevisse, ab iis qui recentiore tempore de rebus Romanorum exposuerunt, argumentis idoneis probatum est: qui numerus postea per quattuor circiter saecula incolumis mansit. Sed quum regum esset in senatum legere, et senatum convocare neque rogare sententiam nisi de iis rebus de quibus volebant, apparet regum imperium quum esset, potestatem senatus haud magnam fuisse.

At maiorem auctoritatem senatus nactus est post expulsos reges. Nam consules, licet regia potestas fere omnis ad eos translata esse videretur, potentia tamen regibus multo inferiores erant, quum et annuam modo potestatem haberent, annoque exacto ne magistratus gesti ratio repeteretur iis timendum esset, neque unus sine altero magna posset conari. Revera senatus, quamquam deliberantium virorum consilium erat, consulibus iure inferius potius quam superius, a summis magistratibus, ut res postulabat, convocandum, plus valuit quam ipsi consules, qui senatus consulta atque decreta quin observarent aut respicerent plerumque haud recusabant<sup>2)</sup>. Primum enim totius patriciorum ordinis, e quo primis liberae rei publicae temporibus aut omnino aut maximam partem erat lectus, nitebatur auxilio. Deinde singuli senatores in totam aetatem creati erant, id quod animum sibi constantem ac firmum reddebat; si qui, ut senatorio munere indigni, a censoribus senatu movebantur, id tantum abfuit ut totius consilii auctoritati noceret, ut eius maiestatem auferet. Postremo senatus, quippe qui optimum quemque virum, nobilissimum, de re publica optime meritum complecteretur, rerum divinarum et humanarum peritia, gravitate, dignitate tantopere praestitit, ut cives omnes, praesertim post leges a Canuleio unam de connubiis patrum cum plebe et tres a Licinio latas, magni eum facere, eique observantiam et verecundiam ultro offerre consuevissent. Quare recte Cicero senatum principem salutis mentisque publicae nominat<sup>3)</sup>, curiam autem templum sanctitatis, amplitudinis, consilii publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium<sup>4)</sup>; et alio loco<sup>5)</sup> praeclare dicit: „Senatum rei publicae custodem, praesidem, propugnatorem collocarunt (maiores): huius ordinis auctoritate uti magistratus, et quasi ministros gravissimi consilii esse voluerunt: senatum autem ipsum proximorum ordinum splendore confirmari, plebis libertatem et commoda tueri atque augere voluerunt.“

Cuius tam gravis consilii si agendi rationem diligentius investigamus, post reges expulsos senatus versatus est summa prudentia in acerrimis plebis cum patriciis certaminibus, artibusque exquisitissimis usus est ad regendum populum ac plebem. Ac populum<sup>6)</sup> quidem sive patricos

2) Cf. Cic. de re publ. II, 32: »Tenuit igitur hoc in statu senatus rem publicam; ut — pleraque senatus auctoritate, et instituto ac more gererentur.«

3) Or. de har. resp. XXVII, 58.

4) Or. p. Mil. XXXIII, 90.

5) Or. p. Sest. LXV, 137.

6) Populo sub regum imperio atque primis rei publicae temporibus antiquissimos modo cives eorumque

facilius erat regere, quoniam ex eo senatus lectus erat, et utrique idem plerumque conducebat: quare in plebe ad arbitrium suum regenda maxima erat senatus prudentia posita. Profecto in perpetuis cum plebe controversiis earum fere omnium rerum peritissimum senatus se praebuit, quae valent ad hominum animos vel regendos vel etiam decipiendos, id quod nonnunquam usu venit. Temporibus prudentissime inserviebat; opportuna occasione utebatur: callidissime eam animo praesagiebat, postquam praesagivit, celerrime amplectebatur. Dubiis temporibus minusque secundis ad speciem cedebat; odium et inimicitiam dissimulabat, simulabat benevolentiam; concedebat quae nullo pacto amplius poterant recusari, sed adimebat quum adimendi occurrebat occasio. Deinde varii generis artibus dolisque utebatur: imprimis magna peritia et calliditate erat in hominum animis avertendis a consiliis, quae aequissima plebeii ceperant ad illius opes iniquas infringendas, sibi vero sua iura paranda; occupabat enim animos aliis negotiis: quo in genere quis non meminit eius artis qua saepe senatus usus plebem urbe removebat et contra hostem mittebat, etiamsi bellum non esset necessarium? Nec quemquam fugere arbitror saepe a senatu dictatorem creatum esse ad coercendam plebem. Praeterea id praecipue agere solebat, ut dissociaret adversarios, imprimisque eos qui rebus plebeiorum praecerant quacunque poterat ratione sibi conciliaret, aut discordias inter ipsos conflaret. Postremo ne religione quidem plebeiorum senatus non utebatur: qui, quum plebeii sacris rebus quam plurimum essent dediti magnaue essent religione, saepissime auspiciis auguriisque est usus ad consilia sua conficienda eaque impetranda, quae utilia, impedienda, quae noxia sibi essent.

Haec omnia plane perspiciet vera esse, quicumque historiae Romanae peritus eorum recordatur quae post exactos reges fere usque ad legem Hortensiam latam in civitate facta sunt. Statim enim expulso Tarquinio rege et restituta libertate tam callidum et versutum in rebus publicis gerendis senatus se praebuit, ut experientia atque usu quam plurimum edoctum eum diceres. Ac revera iam regii imperii temporibus multa prudentissime ad potestatem suam augendam fecerat, cuius rei illud imprimis documento est, quod interregni tempore callidissime semper usus erat ad imperandum et ad potentiam suam quum firmandam tum augendam. Accedit quod senatus per Attum Navium augurem auspiciis ominibusque consulto erat usus, ne ipsius patriciorumque opes minuerentur; nam a senatu Attum Navium esse impulsam ut Tarquinio Prisco regi obsisteret, plura sunt quae videantur probare. Sed quae ob vetustatem nimiam obscura sunt, ea iam mitto, et ad prima quae dixi partae libertatis tempora revertor. Senatus igitur quomodo res se haberet quum accuratissime perspexisset, temporibus cedere utilissimum ratus, plebi coepit blandiri eamque sibi conciliare studuit<sup>7)</sup>. Nam quum ipse potissimum a Tarquinio esset oppressus, ut ple-

progeniem contineri, exemptis plebeis, post Niebuhrium multi luculentissimis documentis probaverunt. Equidem paucos tantum locos afferam: Liv. II, 7. »vocato ad concilium populo,« ad quem locum Schwegler hist. Rom. II, 85. probat, concilium populi esse comitia curiata h. e. concilium patriciorum. Liv. IV. 51. »A plebe consensu populi consulibus negotium mandatur.« Liv. XXV, 12. »Iis ludis faciendis praecerit praetor is, qui ius populo plebeique dabit summum.« Liv. XXIX, 27. »populo plebique Romanae.«

7) Liv. II, 9. »Multa igitur blandimenta plebi per id tempus a senatu data.« Cf. Dionys. Hal. V, 1. et seq.

rumque ab iis qui rerum potiti sunt nobilissimi maxime vexantur, et plebeiorum auxilio esset liberatus, urgente metu Tarquiniorum atque cura ne a plebeiis quos antea offenderat puniretur, omnem salutem et suam et eius totius ordinis ad quem ipse pertinebat, in plebeiorum amicitia atque ope positam esse intellexit. Itaque factum est, ut iidem qui plebeiis antea fuerant inimicissimi, eisque ut quae Servius Tullius plebi aequissimis legibus concesserat, ea eriperentur maxime erant innisi, mutato rerum statu consulto plebi amicissimos se simularent, eique iura aequissima concederent, sperantes fore ut idoneam nacti occasionem suis commodis melius consulerent. Quominus enim plebeii agrum publicum, quem Servius rex, studiosissimus plebis fautor iurisque plebeii conditor, aequissima ratione secundo civium ordini assignaverat, quiete possiderent colerentque, primi ordinis principes, senatores, tum non obstiterunt; vel novos agros ei assignaverunt<sup>8)</sup>; comitiis centuriatis gravissimas res decernendas consulesque creandos concesserunt<sup>9)</sup>; praeterea legem ferri Valerianam de provocatione<sup>10)</sup>, portoria tolli, tributum minui<sup>11)</sup> facile sunt passi; conveniendi ad deliberandum, quod vetitum erat regnante Tarquinio, plebi data est potestas; leges Servii, quae addici quemquam vetuerunt, restitutas esse Dionysius refert<sup>12)</sup>; etiam consulem alterum plebeium fuisse gravia sunt argumenta quae probare videantur<sup>13)</sup>.

At multo aliter plebeios tractare senatus coepit, simulac sedatos esse eorum animos et res mutatas sibi prosperas factas sensit. Nam Tarquinio Superbo mortuo et bello gravi cum Etruscis finito, iam nihil timendum neque plebis ope amplius utendum esse ratus regere eam arbitrio suo et in eam dominari est exorsus<sup>14)</sup>. Quae in rebus adversis ambiguisque plebi data erant, ea fere omnia tum eripi; plebs agro publico expelli, foenore iniustissimo premi; multi plebeii ob aes alienum vinciri et in privatos patriciorum carceres, vel in servitutem ipsam abduci; comitiorum centuriatorum minui potestas; contemni violarique ius ad plebem provocandi<sup>15)</sup>.

8) Plin. H. N. XVIII, 4.

9) Liv. I, 60: »Duo consules comitiis centuriatis — ex commentariis Servii Tullii creati sunt.« Dionys. Hal. IV, 84. *zarcè lôyovs* (h. e. comitiis centuriatis) creatos esse primos consules narrat. Cf. Niebuhr. hist. Rom. I. ed. 3. p. 577. Schwegler hist. Rom. II, 75—120.

10) Cic. de re p. II, 31.: »Idemque (Valerius), in quo fuit Publicola maxime, legem tulit ad populum eam, quae centuriatis comitiis prima lata est, ne quis magistratus civem Romanum adversus provocationem necaret, neve verberaret. — Liv. II, 8. III, 55. Dionys. V, 19.

11) Liv. II, 9.: »portoriisque et tributo plebes liberata.« Omni tributo plebs liberari non potuit: qua de re cf. Niebuhr. hist. Rom. I. ed. 3. p. 633.

12) Dionys. Hal. V, 2.

13) Niebuhr. hist. Rom. I, ed. 3. pag. 579. Conferatur tamen hac de re Schwegler hist. Rom. I, 785.

14) Liv. II, 21.: »Insignis hic annus est nuntio Tarquinii mortis . . . . Eo nuntio erecti patres, erecta plebes; sed patribus nimis luxuriosa ea fuit laetitia: plebi, cui ad eam diem summa ope inservitum est, iniuriae a primoribus fieri coepere.« Cf. Dionys. Hal. VI, 22—29.

15) Sallust. Histor. fragm. I, 10.: »Nam iniuriae validiorum, et ob eas discessio plebis a patribus, aliaeque dissensiones domi fuere iam inde a principio; neque amplius quam regibus exactis, dum metus a Tarquinio et bellum grave cum Etruria positum est, aequo et modesto iure agitatum: dein servili imperio patres plebem exercere, de vita atque tergo regio more consulere, agro pallere, et, ceteris expertibus, soli in imperio agere.

Tam callide senatus temporibus est usus. Atque si qua tum fuisset senatui modestia et temperantia, haud scio an illis quas dixi artibus id consecutus fuerit, ut diutius et minore cum offensione plebem ad nutum regeret. Sed quum plebeiorum calamitates ita auctae essent, ut ferri omnino non possent, salutem nisi seditione concitata reperiri non posse existimaverunt. Verum ne in tam ancipite quidem re senatum prudentia defecit, quippe qui et ante et post factam plebis secessionem in montem sacrum miranda calliditate res gesserit.

Quam calliditatem priusquam persequar, ea tollere et amovere studebo, quae vereor ne forte contra dicantur. Quae enim prudenter a senatu acta esse et exposui et infra exponam, ea antiqui scriptores plurimis quidem locis senatui ipsi attribuunt, nonnullis tamen locis patribus; dici autem patrum nomine regibus regnantibus et primis rei publicae liberae temporibus non senatum, ut postea praecipue Ciceronis tempore, sed patricios sive curias gentesque<sup>16)</sup>, Niebuhrius et post eum multi argumentis probaverunt, ita ut nunc omnes in ea re consentiant. Fortasse igitur dixerit quispiam, ea quae attulerim consilia artesque non solius esse senatus, sed omnino patriciorum, eamque ob causam nimium me senatui attribuisse prudentiae calliditatisque. Quae res quomodo se habeat ut perspiciamus, considerandum est, quinam fuerit senatus et quaenam eius patriciorumque ratio. Etenim senatus, ut iam supra indicavi, fuit delectum e patriciis consilium ordinisque totius patricii caput et propugnator; rei totius ordinis consulens, quae de rebus gravibus statuerat, ea per consulem proponebat comitiis curiatis eaque utrum vellent necne rogabat. Qua ex re perspicuum est, senatum non modo earum omnium rerum quas a patribus actas esse antiqui scriptores referunt, fuisse participem, sed auctorem etiam et ducem.

Iam redeo ad exponendam plebis secessionem in montem sacrum. Quum enim plebei iniuriis senatus patriciorumque offensi, potissimumque ob nexos addictosque aeris alieni causa irati, ut onera levarentur minaciter petissent nominaque quum bellum instaret dare nolissent, et senatui totique ordini patricio magna imminerent pericula, senatus concitatos animos vi sedari non posse intelligens, callidum se admodum versutumque praebuit. Appii enim Claudii vehementi ingenio viri plebem vi coercendam esse censentis sententiam<sup>17)</sup> respuit, quamquam eum ob odium in plebem magni faciebat, et blandis mollibusque verbis rem agendam esse censuit. Itaque per Servilium consulem plebi proponit, curae iam sibi esse plebeios, neque decorum sibi esse, (ut

Quibus saevitiis et maxime foeneris onere oppressa plebes quum assiduis bellis tributum simul et militiam toleraret, armata montem sacrum atque Aventinum insedit. Tumque tribunos plebis et alia sibi iura paravit. — Liv. II, 23. »Ductum se (ait) ab creditore, non in servitium, sed in ergastulum et in carnificinam esse.« — Dionys. Hal. l. l. — Cf. Gellius Noct. Att. XX, 1.

16) Quum plurima huius rei argumenta afferre possim, haec pauca sufficere existimo. Liv. II, 42.: »Uno animo patres ac plebes rebellantes Volscos et Aequos duce Aemilio prospera pugna vicere.« — Publilius dictator legem tulit, »ut legum quae comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent« (Liv. VIII, 12.), quod sine dubio de populi concilio sive comitiis curiatis dicitur. Nec cuiquam connubia plebis cum patribus statim in mentem non veniunt. Sed ne iusto diutius hac in re verser metuo. Ceterum conferantur ea de re praeter Niebuhrium W. A. Becker, Göttling, Mommsen, Schwegler, alii.

17) Liv. II, 23; »Appius — imperio consulari rem agendam censebat; uno aut altero arrepto quieturos alios.« Dionys. Hal. l. l.

Livii verbis utar) „per metum potius, quam postmodo voluntate, afflictis civium suorum fortunis consuluisse“; et per eundem consulem vetat militis, donec in castris esset, bona possideri aut vendi, aut liberos servitute teneri<sup>18)</sup>. Quibus promissis plebem sibi reconciliavit. Finito autem adversus Volscos bello, senatus iis rebus quas pollicitus erat parum satisfecit, quum et, qui antea fuerant nexi, creditoribus traderentur, et alii necerentur<sup>19)</sup>. Plebem vero ob eam rem maxime indignatam, quum novum contra finitimos populos bellum instaret, prudentissime sedavit, M. Valerio (Publicolae fratre), cuius gentem plebi amicissimam esse constabat, dictatore creato<sup>20)</sup>. Qui quum hostibus victis in senatu plebis partes frustra defendisset<sup>21)</sup>, facta est iratae ob senatus perfidiam plebis secessio in montem sacrum<sup>22)</sup> (anno ducentesimo sexagesimo urbis conditae): at nunquam prudentius callidiusque est ab ullo consilio publico actum, quam tum a senatu contra plebeios. Licet enim atrox cum plebe certamen non modo, sed exilium etiam senatui totique patriciorum ordini immineret, pacis tamen condiciones pleraeque eae factae sunt, quae quum viderentur plebi magnum commodum afferre, senatui patriciisque maxime conducerent. Nam quum senatui a patriciis ut pacem componeret esset mandatum, is per decem primos e suis miro consilio et omni, quae optimates decebat, prudentia plebem placavit<sup>23)</sup>. Cui neque consulatus neque ullum aliud ius patricium est concessum; senatui et patriciis omnis quam habuerant mansit potestas; tantum lex Valeria de provocatione denuo sancita est. Sed plebeiis, ut reconciliarentur neve maiora iura sibi peterent, commoda in praesens magna sunt data: qui enim nexi addictique in servitutum abducti erant, in libertatem vindicati sunt, et omnibus iis qui non solvendo erant, pecunia credita condonata est<sup>24)</sup>. Qua subita sublevatione quum plebs a gravioribus postulatis averteretur, ius illud necendi ob aes alienum addicendique servatum est, ita ut haud multo post plebei in iisdem miseriis aeris alieni causa versarentur. Attamen unum commodum perpetuum plebei pace consecuti sunt, quod senatus patriciique non concessissent, nisi necessitate fuissent coacti: nam dubium non est quin praesagiverint, quanta gravitate id institutum quod plebeiis sanciebatur in posterum esset futurum. Concessum est enim, ut „plebi sui essent magistratus sacrosancti, quibus auxilii latio adversus consules esset, neve cui patrum capere eum magistratum liceret. Ita tribuni plebei creati duo<sup>25)</sup>“. Haec est origo tribuniciae

18) Liv. II, 24.

19) Liv. II, 27.

20) Liv. II, 30.

21) Liv. II, 31.

22) Liv. II, 32. Cic. de re publ. II, 33: »Nam quum esset ex aere alieno commota civitas, plebs montem sacrum prius, deinde Aventinum occupavit.«

23) Dionys. II, 69. 83. Liv. II, 32 et 33. Cf. Niebuhr. I, p. 662—695. Schwegler h. Rom. II, p. 203—287. Mommsen hist. Rom. II, ed. 2. p. 247 et 248.

24) Livius hoc silentio praeterit, sed testes eius rei sunt Dionysius (VI, 83.) et Zonaras (II, p. 22.); cui rei Cicero assentiri videtur (de re publ. II, 34) dicens: »Fuerat fortasse aliqua ratio maioribus nostris in illo aere alieno medendi, quae neque Solonem Atheniensem non longis temporibus ante fugerat, neque post aliquanto nostrum senatum, quum sunt propter unius libidinem omnia nexa civium liberata« oet. Cf. Nieb. et Schwegler I. I.

25) Liv. II, 33. Dionys. VI, 89.



illius potestatis, quae postea tanti momenti fuit: nam ei potestati quum facultas inerat res magnas gerendi et quaeque salutaria perficiendi, tum instans periculum non deerat, ne homines ambitiosi eo munere effrenatum in modum abuterentur ad rem publicam turbendam. Haud multo post quinos, deinde denos tribunos plebis quotannis creatos esse constat. Ceterum omnis tribuniciae potestatis vis in lege sacrata posita erat, quippe qua sancitum esset ut tribuni essent sacrosancti.

Nec praetereundum est hoc loco, qua calliditate tum senatus et socios sibi comparaverit, si armis inter ipsum plebemque esset disceptandum, et plebeiorum nobiles a multitudine dissociare studuerit. Nam cum Latinis foedus est instauratum iisque paria civium iura concessa sunt eodem anno, quo secessio plebis facta est, nec dubium est quin contra plebem id factum sit; et quod Dionysius<sup>26)</sup> narrat per M. Valerium dictatorem quadringentos divitiorum plebeiorum in ordinem equestrem esse receptos, id, si verum est, ad illam pacem cum plebe factam videtur esse referendum et prudenter a senatu excogitatum, ut plebeios dissociaret.

Ex tot tantisque artibus facile est ad intelligendum, quomodo illud fieri potuerit, ut plebei tam diu opprimerentur neque eorum honorum eiusque iuris participes fierent, quorum eos participes fieri certe aequissimum erat. Sed id emolumentum diuturnae illae discordiae civiles civitati attulerunt, ut res Romana non celeri cursu, sed gradatim eoque firmiter procederet, quum omnia quae plebi contigerunt, non leviter neque inconsulto instituerentur, sed labore magnaue opera pararentur, et necessitate consilioque essent probata. Atque propterea quod de paribus erat honoribus tam diu dimicandum, plebeiorum vires non languescere otio coeperunt neque effeminari, sed ipsi certaminibus domesticis periculisque perpetuis, non minus quam bellis cum finitimis populis, exerciti nihil amiserunt roboris firmitatisque, ut laborando agendoque animus corpusque maxime a languore et mollitia servaretur. — Sed artes exponere pergam, quibus senatus plebem regebat.

Bella saepissime a senatu ultro esse excitata ad sua perficienda, adversariorum consilia impedienda, supra indicavi. Cuius rei documenta permulta non deerunt ei, qui quae in re publica Romana per primum fere saeculum post expulsos reges facta sint mente animoque perlustraverit. Praecipue quum Sp. Cassius Viscellinus, lator ille primus agrariae legis, capitis damnatus supplicioque affectus esset, et plebs iniuriis patrum irata ea, quae iusta postulaverat de agri publici partibus sibi assignandis, quacunque ratione poterat constanter exsequi vellet, senatus patriciique plebem aliquamdiu urbe removeri utilissimum rati, saepe idoneam belli causam simulaverunt<sup>27)</sup>. Etenim forum vacuum relinquebatur nihilque poterat a plebe agi, donec in castris legiones essent, quippe quae e plebeis constarent; et militiae sacramento plebei obligati, consulis imperio morem gerere cogebantur. Nec deficiunt veterum scriptorum testimonia ipsa, quae senatus patriciorumque eam artem fuisse declarant, ut Livii<sup>28)</sup>, cuius haec sunt: „Hoc bello perfecto, tribu-

26) Dionys. VI, 44. Cf. Niebuhr. h. Rom. I. ed. 3. p. 677.

27) Dionys. Halic. VIII, 71—91. Zonar. II, p. 25. Liv. II, 42. Cf. Niebuhr. hist. Rom. II. ed. 2. p. 199—200. Schwegler h. Rom. II, p. 500—502.

28) II, 24. — Zonar. I. I. Cf. Liv. IV, 5: „Oportet licere populo Romano, si velit, iubere legem. An, ut

nicium domi bellum patres territat; clamant fraude fieri quod foris teneatur exercitus; frustrationem eam legis tollendae esse.<sup>29</sup> Quantum ea arte, qua plebem bello parato urbe removebat, senatus ad illius postulata impedienda plerumque effecerit, inde potest conici, quod plebei ipsi ne iterum deciperentur nonnunquam militiam recusaverunt<sup>29</sup>). Neque adversus hanc plebeiorum rationem senatum prudentia consiliumque deficiebat: nam dictatoria dignitate utebatur ad plebem coercendam. Etenim dictator e senatusconsulto a consule dicebatur<sup>30</sup>), neque a dictatoris iudicio provocare licebat, neque imperium intra urbem quoque ei deerat<sup>31</sup>). Quam ob rem creato dictatore saepe plebem ut obediret senatus coegit. Dictatorem enim, utpote e consularibus vel senatoribus vel certe patriciis creatum, cum senatu stetisse apparet. Ea de causa dictator creatus magnum metum plebi incutiebat<sup>32</sup>).

Ut dictatore creato per vim senatus plebem coercebat, ita et fallacias dolosque interdum non repudiabat. Nam discordias inter plebeios concitabat imprimisque tribunos plebis quacunque ratione poterat aut omnes sibi conciliabat, ne quid plebs contra senatum aut patricos conaretur, aut singulos, ut si quid rogaretur quod patribus minus conducere, intercedendo plebiscitum impedirent. Quod et rebus gestis probatur et scriptorum testimoniis. Quorum tria ex Livio afferam. Qui Appium Claudium in senatu ita dixisse narrat<sup>33</sup>): „Et plures, si pluribus opus sit, tribunos ad auxilium consulum paratos fore; et unum vel adversus omnes satis esse. Darent modo et consules et primores patrum operam, ut, si minus omnes, aliquos tamen ex tribunis rei publicae ac senatui conciliarent.“ Pergitque Livius: „Praeceptis Appii moniti patres et universi comiter ac benigne tribunos appellare; et consulares, ut cuique privatim aliquid iuris adversus singulos erat, partim gratia, partim auctoritate, obtinere, ut tribuniciae potestatis vires salubres vellent rei publicae esse<sup>34</sup>); quattuorque tribunorum adversus unum

quaque rogatio promulgata erit, vos delectum pro poena decernetis? et, simul ego tribunus vocare tribus in suffragium coepero, tu statim consul sacramento iuniores adiges et in castra educes? . . . . Itaque ad bella ista, seu falsa seu vera sunt, consules, parata vobis plebs est, si<sup>2</sup> cet.

29) Cuius rei duo modo testimonia afferam. Liv. II, 43: »Qui terrores quum compescere deberent, auxere insuper animos plebis: redibatque non sua sponte plebi mos detrectandi militiam, sed Sp. Licinius tribunus plebis, venisse tempus ratus per ultimam necessitatem legis agrariae patribus iniungendae, susceperat rem militarem impediendam.« IV, 5: »nemo est nomen daturus, nemo arma capturus, nemo dimicaturus pro superbis dominis, cum quibus nec in re publica honorum, nec in privata connubii societas est.«

30) Cf. W. A. Beckeri ant. Rom. II, 2. p. 155—160. Liv. IV, 17. 23. VIII, 17. IX, 29.

31) Zonar. II, p. 21.: »Αυτάς τε δὲ καὶ ἀποτρέψαι καὶ οὐκ εἶναι ἐν σφραγίστοις ἡδύνατο.« Liv. II, 18.: »neque enim ut in consulibus, qui pari potestate essent, alterius auxilium, neque provocatio erat, neque ullum usquam nisi in cura parendi auxilium.« Cf. Niebuhr., W. A. Becker, Mommsen, Schwegler.

32) Liv. II, 18.: »Creato dictatore primum Romae postquam praeferrī secures viderunt, magnus plebem metus incessit.«

33) II, 44.

34) Livius haec refert ut patrum studiosus, plebi infestus referre solet; nam tribuni tum blanditiis aut largitionibus corrupti sane rei publicae salubres non fuerunt, quippe qui impediverint, quominus ex aequissima agraria lege a Ti. Pontificio lata agri plebi assignarentur.

moratorem publici commodi auxilio delectum consules habent.“ Eiusdem Appii pronepotem, nepotem eius qui decemvir legibus scribendis fuerat, idem Livius haec in senatu dixisse memoriae tradit<sup>35)</sup>: „Vetus se ac familiare consilium domo afferre: proavum enim suum Appium Claudium ostendisse patribus viam unam dissolvendae tribuniciae potestatis per collegarum intercessionem. Facile homines novos auctoritate principum de sententia deduci, si temporum interdum potius, quam maiestatis, memor adhibeatur oratio.“ Tertius Livii locus est, ubi ne leges a C. Licinio et L. Sextio rogatae perferrentur ceteros tribunos a senatu esse conciliatos enarrat. Dicit enim<sup>36)</sup>: „Omnium igitur simul rerum, quarum immodica cupido inter mortales est, agri, pecuniae, honorum, discrimine proposito, conterriti patres, quum trepidassent, publicis privatisque consiliis nullo remedio alio, praeter expertam multis iam ante certaminibus intercessionem, invento, collegas adversus tribunicias rogationes comparaverunt. Qui, ubi tribus ad suffragium ineundum citari a Licinio Sextioque viderunt, stipati patrum praesidiis, nec recitari rogationes, nec sollemne quidquam aliud ad sciscendum plebi fieri passi sunt.“

Quid? quod et sacris senatus utebatur ad regendam plebem et ad obtinendum rei publicae imperium. Nam quum omnia quae publice gerebantur, non fieri possent nisi rite auspiciato<sup>37)</sup>, et penes patricios solos auspicia essent, iique soli pontificum et augurum muneribus fungerentur, senatus auspiciis auguriisque nonnunquam usus est ad tollenda comitia vel alias res impediendas, unde imperium suum minui videretur. Quod sciunt, quicumque Romanorum historiae, praecipue rei sacrae, operam navarunt. Ita qui primi tribuni militum consulari potestate creati sunt, tertio post mense quam magistratum inierunt honore se abdicare a senatu coacti sunt, propterea quod ex decreto augurum vitio essent creati. Verum si quaeris, senatus tribunos militum, quos invitus concesserat, noluit esse: per interregem creatum consules fecit<sup>38)</sup>. Eodem modo postea, quum censores nullos esse utilissimum senatui videretur, ne censu facto plebeii aere alieno levarentur, censores, utpote vitio creati, magistratum non gesserunt: quod senatus voluntate factum esse facile est ad intelligendum<sup>39)</sup>.

Qua denique calliditate ac pertinacia senatus usus est ad retinendam consulatus potentiam,

35) IV, 48.

36) VI, 35.

37) Cic. de div. I, 2, 3: »nihil publice sine auspiciis, nec domi nec militiae gerebatur.« I, 16, 28: »Nihil fere quondam maioris rei, nisi auspiciato, ne privatim quidem, gerebatur.«

38) Liv. IV, 7: »Non tamen pro firmato iam stetit magistratus eius ius; quia tertio mense, quam inierunt augurum decreto, perinde ac vitio creati, honore abiere; quod C. Curtius, qui comitiis eorum praefuerat, parum recte tabernaculum cepisset . . . Patricii — interregem creavere . . . Interrex ac senatus, consulum comitia, tribuni plebis et plebs, tribunorum militum ut habeantur, tendunt. Vicerunt patres . . . T. Quinctius Barbatus interrex consules creat.

39) Liv. VI, 27: »Igitur quum Sulpicius abdicasset se magistratu, censores alii, vitio creati, non gesserunt magistratum. Tertios creari, velut diis non accipientibus in eum annum censuram, religiosum fuit. Eam vero ludificationem plebis tribuni ferendam negabant: fugere senatum testes, tabulas publicas, census cuiusque, quia nolint conspici summam aeris alieni, quae indicatura sit, demersam partem a parte civitatis; quum interim obaeratam plebem obiectari aliis atque aliis hostibus. Passim iam sine ullo discrimine bella quaeri.«

postquam eum honorem cum plebe communiare est coactus! Nam senatus, quum aequissima Canuleii rogatio de consulibus sive e patribus sive e plebe creandis quominus perferretur arte prohibuisset, annosque fere octoginta alterum consulem e plebe creandum distulisset, tandem Licinii et Sextii tribunorum plebis labore atque opera adductus, ut non obstaret, ne consul alter e plebe crearetur, partem gravissimam consulatui ademit, et sibi patriciisque servavit. Etenim ut antea censuram, ita tum praeturam instituit, quorum magistratum munera antea fuerant cum consulatu coniuncta. Neque horum recentium honorum senatus plebem sivit participem esse: ita ut uno magistratu curuli plebeiis concessio, plures novos senatus patriciique sibi assumerent<sup>40</sup>).

Quid multa? Huiusmodi artibus fieri potuisse perspicuum est, ut senatus plebem suo arbitrio regeret et tam diu opprimeret<sup>41</sup>). Nam neminem rerum Romanarum peritum fugit, quam diu plebs de honoribus parique iure cum senatu patriciisque dimicaverit; quae certamina per ducentos triginta fere annos perpetuo rem publicam vexabant, donec plebs paulatim omnis patricii iuris particeps est facta, et extremo per legem Hortensiam omnibus inter patricos plebemque discordiis est finis impositus. Qua iuris aequabilitate res publica eum statum nacta est, qui felicissimus fuit et maxime ad civitatem intestinis opibus firmandam idoneus. Neque vero amplius centum quinquaginta fere annis is status rei publicae fuit; nam quum postea nobiles maxime rerum potententur, et quidam eorum, multitudinis auxilio adiuti, maiorem quam par aut utile erat potentiam vindicarent, malis domesticis alius generis quam antea fuerant res publica coepit laborare: quam tamen rem copiosius exponere non est instituti mei. Neque de imperatorum tempore loquar: quo qualis senatus fuerit, qui Tacitum legerunt, iis satis superque notum est. — Sed de regendo populo eo tempore quo nullum iam fuit plebis et patriciorum discrimen, pauca mihi dicenda sunt.

Ut plebem antea, ita populum, qui omnes tum complectebatur cives, senatus regere coepit. Nam licet ex legibus penes populum summa esset potestas, tamen senatus non semper, ne de gravissimis quidem rebus, ad populum tulit, sed solus decrevit. Et quum populi iussu omnino opus erat, ut quod ipse vellet populus iuberet persuadendo callide efficiebat. Cuius rei quam plurima exstant exempla; quae quum afferre longum sit, satis esse existimo eam rem attingisse. Praecipue exterarum rerum suo arbitrio administrandarum potestatem senatus tenuit; nam quum propter imperii magnitudinem commerciumque, quod Romanis cum omnibus fere populis erat, negotia publica et gravissima et plurima essent, non omnia ad populum ferri potuerunt. Qua opportunitate senatus prudenter usus, fere omnia cum exteris civitatibus solus egit. Profecto quanta in rebus exteris gerendis auctoritate senatus fuerit, dici vix potest. Nam foedera societatesque fere solus faciebat, bellum pacemque nonnunquam decernebat, legatos mittebat, accipiebat ab aliis civitatibus missos, statuebat de exterarum gentium rebus publicis, reges decernebat utrum essent necne<sup>42</sup>). Praeterea senatus pecunias publicas, vectigalia, sumptus publicos admi-

40) Liv. VI, 42.

41) Quae plebs postularet iusta fuisse, omnes qui recentiore tempore post Niebuhrium de rebus Romanorum exposuerunt consentiunt; et — ne veteris quoque scriptoris testimonium desit — Cicero plebem optimam et modestissimam appellat. (Or. II. de lege agr. 84).

42) Nonnulla modo Livii testimonia afferam. Liv. XXIX, 12: »P. Sempronius condiciones pacis dixit, ut

nistrabat: penes eum erat omnis aerarii dispensatio. At sane eo tempore nulla comitia, nullae conciones, nulli magistratus rebus gerendis tam pares fuerunt quam senatus. Nam quum discrimine ordinum, patriciorum et plebeiorum, sublato discordiae civiles desiissent, senatus a partium studio alienus omnium civium saluti providebat. Qui consulatu, qui praetura, qui ceteris summis honoribus functi erant, ii huius summi consilii erant: quorum quum numerus non sufficiebat, ex universo populo tum promiscue sive e patriciis sive e plebeiis viri dignissimi a censoribus in senatum deligebantur, ita ut aditus in illum summum ordinem industriae civium ac virtuti pateret. Itaque factum est, ut senatus illorum temporum summos quosque viros, optime natura constitutos, sapientissimos, ingenio virtuteque praestantissimos, usu atque experientia maxime doctos, rerum et domesticarum et bellicarum peritissimos, constantia animique magnitudine quam maxime praeditos, nobilissimos complecteretur. In eo tam gravi principum<sup>43)</sup> vel regum<sup>44)</sup> consilio, quod nunquam, ut ita dicam, emoriebatur, sed refectum novis collegis delectis reviviscebatur, legum iurisque peritia ac rei publicae ratio et prudentia a maioribus tradita propagabatur non modo, sed usu perpetuo excolebatur. Quum sententiae rogabantur, omnes quidem vel suas sententias dicebant, vel verbo gravis cuiusdam viri assentiebantur, vel in alius sententiam discedebant: quum autem non omnibus senatoribus ius esset verba faciendi, sed praeter magistratus et eos, qui summis honoribus functi erant, ii tantum quibus propter singularem prudentiam rerumque civilium ac bellicarum scientiam ut verba facerent a consule mandabatur, referrent et de rebus publicis agerent disceptarentque, contigit senatui Romano, id quod quum necessarium est tum difficile ad efficiendum<sup>45)</sup> in magnis consiliis, quibus res publicae gubernantur, ut magnus numerus adesset tacentium quoque virorum, sed intelligentium et qui de rebus ipsi iudicare possent. Quid plura? Senatus totius fuit rei publicae caput et moderator prudentissimus.

Ad alteram iam transeo totius disputationis partem, quam versari dixi in exponendis artibus iis, quibus senatus orbis terrarum fere totius imperium sibi comparaverit. Ac profecto in exteris rebus administrandis senatus tanta semper fuit prudentia, et consiliis est usus tam aptis imperio comparando obtinendoque, et eam ob rem tot gentes in sua potestate ac ditioe tenuit, ut haud

Parthini et Dimallum et Bargulum et Eugenium Romanorum essent; Atintania, si, missis Romam legatis, ab senatu impetrasset, Macedoni accederet. XXXI, 2: »Sub idem fere tempus et ab Attalo rege, et Rhodiis legati venerunt, nuntiantes, Asiae quoque civitates sollicitari. His legationibus responsum est, curae Asiae rem senatui fore.« Ibid, 3: »decrevitque frequens senatus, ut P. Aelius consul. . . in Asiam traiceret. XXXIV, 22: »senatusconsultum, quo bellum adversus Nabin Lacedaemonium decretum est, adfertur.« XLIII, 2: »Hispaniae deinde utriusque legati aliquot populorum in senatum introducti. Ii de magistratum Romanorum avaritia superbiaque conquesti, nisi genibus ab senatu petierunt, ne se socios foedius spoliari vexarique, quam hostes, patiantur.« XL, 58: »Perseus . . . legatos Romam ad amicitiam paternam renovandam, petendumque, ut rex ab senatu adpellaretur, misit.« — Cf. Liv. XLV, 10, 20—25. Polyb. XXX, 5.

43) Cic. de re publ. II, 33.

44) Flor. I, 18.

45) Cf. Mommsen hist. Rom. I, ed. 2. pag. 289.

dubitem Ciceroni assentiri, qui orbis terrae consilium dicebat esse senatum<sup>46</sup>). Etenim nulla fere gens fuit, quae eius animum habendi imperandique cupidissimum effugerit, nulla quam non investigaverit cuiusque in res gerendas se non interposuerit, quam non deceperit consilio, dolo, insidiis, quae eius artibus parem prudentiam opposuerit, ut incolumis prodierit et non perdita a senatu sit relicta. Cui tantae prudentiae, calliditati, constantiae, pertinaciae, imperandi cupiditati qui reges, qui populi, quae imperia poterant resistere? Profecto Romanum imperium non magis virtute militum et ducum praestantia, quae quantae fuerint constat, quam senatus consilio ac prudentia ingentibus incrementis est auctum. Quam rem uberius tractaturus primum exponam, quas artes iam eo tempore, quo Latii Italiaeque imperium partum est, senatus secutus sit, et quomodo ab initio usque ad bellum Punicum primum in rebus exteris gerendis adoleverit prudentia, deinde, qua arte calliditateque ex eo tempore, ubi etiam ultra progredi finesque Italiae transire Romani coeperunt, gentes fere omnes imperio suo subiicere sit conatus.

Iam inde a primis liberae rei publicae temporibus, quum fere perpetuo esset cum populis finitimis agendum, senatus magnam sibi exterarum rerum gerendarum peritiam comparavit. Ut milites perpetuis fere bellis cum finitimis populis virtute constantiaque, duces belli gerendi arte sunt exerciti, ita senatus usu atque experientia artibus ad subiiciendas imperio Romano gentes imbui coeptus est, eamque paulatim adeptus est prudentiam, quae postea unica exstitit atque admirabilis. Nam bella opportuno tempore inferebat finiebatque; amicitiam societatemque cum aliis populis inibat, quum vincere eos non posset; sed usus eorum ope, quum vires crevissent, subiicere eos suo imperio conabatur; imbecillis populis auxilium ferebat contra potentiores sibi ipsi periculosos; hostes dissociabat; pacem faciebat sibi minus utilem, quum alius immineret hostis etiam periculosior; sed hoste devicto, pacis condiciones dicebat prudentissimas. Quarum rerum insignia documenta praebuit. Ac primum quidem mira est prudentia, qua senatus Hernicorum et Latinorum, quibuscum foedere et societate Romani per ducentos fere annos erant coniuncti, non opinantium auxilio usus est ad imperium Romanum firmandum augendumque. Quum enim ii vinci armorum vi non possent, foederibus cum iis coniungi utile est senatui Romano visum. Ea foedera utilissima fuerunt. Nam Romani bella fere perpetua contra fortes opulentosque hostes, Volscos, Aequos, Veientes Hernicorum et Latinorum ope feliciter gesserunt eosque tandem imperio suo subiecerunt. Sed quum ea ratione res publica Romana crevisset, bello premi populi foederati, Hernici et Latini, coepti sunt. Hernici, quum varia fortuna saepe cum iis esset bellatum, tandem anno urbis conditae quadringentesimo quadragésimo octavo devicti et in deditionem accepti sunt<sup>47</sup>). Gravius bellum cum Latinis fuit: verum ad extremum neque militum Romanorum virtuti ac disciplinae, neque ducum consilio constantiaeque, neque senatus prudentiae restiterunt. Nam ut Latini peti devincique possent, senatus Samnitibus, quibuscum bellum gerebatur, pacem dedit conditionibus iis, quibus Samnitium rebus aliquamdiu parceretur. Devictis Latinis Samnitium auxilio, pacis condiciones eas dixit senatus, quae et singulas

46) Or. Phil. IV, 6, 14.

47) Liv. IX, 43.

civitates redderent infirmas, et intestinarum discordiarum originem continerent. Etenim aliarum Latii civitatum vires sunt fractae, ut Antiatium, quorum naves longae abactae sunt, quibusque mari est interdictum, et Veliternorum, quorum muri deiecti, agri colonis permitti sunt, et Praenestinarum Tiburtumque, qui agro multati sunt, aliis civitatibus fortuna magis secunda evenit, ut Tusculanis, quibus servata est civitas Romana quam habebant, et Lanuvinis atque Aricinis Nomentanisque et Pedanis, quibus civitas data sacraque sua reddita, et Formianis Fundanisque, quibus civitas est sine suffragio data<sup>48)</sup>. Ita aliis alio iure concesso, odium et invidiam simultatesque inter singulas civitates exoriri necesse fuit; desiitque urbium Latinarum societas, foedusque antiquum exstinctum est (a. u. c. 416). Eam ob causam ex eo tempore interiit nominis Latini quondam clarissimi gravitas ac potentia.

Nec minore prudentia senatus in bellis adversus Samnites res gessit. Ipsum initium belli primi callidissimum fuit: opem infirmis ferre senatus videri voluit. Campani enim a Samnitibus pressi perquam grati fuerunt senatui, foedus auxiliumque implorantes. Eam haud sibi omittendam duxit opportunitatem Samnites impediendi, ne ultra progredierentur opesque suas auferent. Itaque senatus et socios comparavit sibi officio devinxit, et idoneam invenit causam vires gentis fortissimae opulentissimaeque et maxime obstantis imperio Romanorum debilitandi aut frangendi. Quum secundum cum Samnitibus bellum gereretur, post cladem in furculis Caudinis acceptam senatus prudentia atque constantia rem publicam servavit. Idem senatus per speciem auxilii Lucanis ferendi tertium Samnitibus bellum intulit. In quo quum Etrusci et Umbri et Galli Samnitibus se coniunxissent, maior spes in artibus quam viribus est a senatu collocata: cuius rei testimonio est Orosius, qui rerum scriptor, quamquam aetate multo posterior est, tamen fide rerumque scientia nonnunquam non est spernendus, cuius haec sunt<sup>49)</sup>: „Quattuor fortissimi florentissimique populi Italiae in unum agmen foedusque coierunt: namque Etrusci et Umbri, Samnites et Galli, uno agmine conspirantes, Romanos delere conati sunt. Tremefacti hoc bello Romanorum animi nec ausi sunt tantum sperare de viribus: dolo dividere hostes potius rati<sup>50)</sup> pluribus bellis se implicuere quam gravibus.“ Trium cum Samnitibus bellorum gestorum senatus moderator fuit sapientissimus: pacis autem condiciones, quibus singula fiebantur, prout res ac tempora postulabant, prudentissime dixit. — Pari consilio ac prudentia senatum in bello contra Tarentinos Pyrrhumque Epirotarum regem gesto versatum esse, indicavisse satis esse existimo.

Praetereundum non est, qua prudentia senatus subactarum Italiae gentium imperium obtinuerit. Ut ne Latii quidem civitatibus singulis idem ius concessum est, ita ceterarum Italiae gentium iura civilia maxime varia esse voluit, ne communi inter se vinculo coniungerentur, et quo facilius in ditione ac potestate tenerentur. Municipiis libertatis species fuit, alia sociorum, alia dediticiorum fuit conditio, alia coloniarum. In urbes enim quasdam, quippe quae rebellavissent, senatus colonias mittere consuevit, quae et imperio Romanorum essent munimento, et

48) Liv. VIII, 13 et 14.

49) Oros. III, 20.

50) Quae hoc loco de Romanis narrantur, ea maxime ad senatum pertinere, nemo est qui non videat.

instituta Romana linguamque propagarent<sup>51)</sup>. Quae coloniae quum praeterea multitudinem civitati interdum molestam urbe removerent, maximo fuerunt commodo.

Senatus, quum tota Italia Romanorum imperio subiecta consilio prudentiaque adolevisset, facilius celeriusque earum civitatum, quae ultra Italiae fines sitae erant, imperium adeptus est. Sane res publica Romana, quo minoribus initiis exorta est, et quo tardius a principio crevit, quum perpetua cum finitimis populis bella eam orientem paene oppressissent, eo maioribus incrementis est aucta, postquam bellis contra Italiae populos feliciter gestis cognitum est et intellectum, quid disciplina militari, quid tandem consilio prudentiaque et constantia posset effici. Quare senatus iam non intra Italiam animum imperandi cupidum continuit, sed etiam fines, quos natura mari montibusque circumdatis Italiae dedisse videbatur, transeundo externis quoque populis bella intulit. Nam quod cum omnibus fere orbis terrarum gentibus a Romanis bella gesta sunt, id minus populi voluntate quam senatus auctoritate factum esse apparet. Populus enim, saepe ad bellandum non promptus, artibus senatus ad bella gerenda commovendus erat<sup>52)</sup>. Quum et propter varietatem magnam earum artium, quibus senatus usus est ad gentes fere omnes imperio suo subiiciendas, et propter magnum numerum nationum, quibuscum ei agendum erat, ex quo ultra Italiam bella a Romanis geri coepta sunt, latissime hoc argumentum pateat, hos quattuor tantum locos potissimum spectabo et exponam, primum qua prudentia ac calliditate senatus in exterarum nationum res gerendas se interposuerit, deinde quam prudenter bella administraverit, tum quo consilio usus sit in pacis conditionibus ferendis, postremo qua arte simul et perfidia socios foedereque coniunctos tractaverit.

Primum quidem senatus singulari prudentia calliditateque per amicitiae speciem in exterorum populorum res gerendas se interponebat, ut aut eorum ope uteretur, aut opportunam nactus occasionem eos imperio suo subiiceret. Amicitiam societatemque simulabat, foedera vel ultro offerebat, quae saepenumero tam diu servabat, quam utilia sibi essent. Maxime eum senatus secutus est morem, quem iam traditum ex multis aetatibus servabat, ut gentes infirmas auxiliumque petentes benigne exciperet, et idoneam causam nactus bellum inferret iis populis, quorum opes ne nimis crescerent extimescebat. Quo in genere quam promptus fuerit ad auxilium Campanis ferendum, ut cum Samnitibus dimicaret, supra expositum est; at post subactam Italiam quam cupide senatus, quaecunque causae inanes se offerebant, eas captaverit, dummodo cum ipsius consiliis convenirent, perspicuo argumento est initium belli primi, quod Poenis inferebat causam eam simulans, ut auxilium ferret Mamertinis. Nam licet initio dubitaret cum hominibus nequam seditionisque foedus inire, tandem cessit utilitati, posthabito dedecore, quod inde nasceretur. — Mira calliditate senatus se populis exteris libertatem restituere praedicabat, eosque adeo fallebat, ut

51) Gell. noct. Att. XVI, 13: »Quae tamen conditio, quum sit magis obnoxia et minus libera, potior tamen et praestabilior existimatur, propter amplitudinem maiestatemque populi Romani, cuius istae coloniae quasi effigies parvae simulacraque esse quaedam videntur.«

52) Cuius rei unum modo exemplum afferam. Quum enim bello Punico secundo finito populum fessum belli diuturnitate gravitateque contra Philippum Macedonum regem bellare taederet, ei ut bellum Macedonicum iuberet senatus prudentissime per P. Sulpicium consulem persuasit. Liv. XXXI, 6—7.



amicissime receptus civitates sua voluntate regeret, extremo causis inanibus imperio suo subiiceret. Quae senatus ratio plane intelligitur ex eo senatusconsulto, quo Perse Macedonum rege victo de rebus Macedonum decretum est, cuiusque initium hoc est: „Omnium primum liberos esse placebat Macedonas atque Illyrios, ut omnibus gentibus adpareret, arma populi Romani non liberis servitutem, sed contra servientibus libertatem adferre, ut et in libertate gentes quae essent, tutam eam sibi perpetuamque sub tutela populi Romani esse, et quae sub regibus viverent, et in praesens tempus mitiores eos iustioresque respectu populi Romani habere se, et, si quando bellum cum populo Romano regibus fuisset suis, exitum eius victoriam Romanis, sibi libertatem adlaturum crederent<sup>53</sup>).“ Ea vero arte nullum populum magis decepit quam Graecos, qui, discordiis domesticis implicati, ex Macedonum imperio multo etiam peiorum dominorum, Romanorum, in arbitrium veniebant ac potestatem. Senatus ex eo tempore, quo bellum cum Illyriis gestum est, Graecorum animos adeo sibi conciliavit, ut securi facti nequaquam ea pericula animadverterent, quae sibi instarent. Per legatos in civitates graecas missos, ut amicus et patronus et custos, earum causas decernebat. Pugna ad Cynosephalas facta, quum in Isthmiis coram frequenti Graecorum conventu T. Quinctio Flaminino, qui ex Macedonico bello imperium habebat, iubente per praeconem pronuntiatum esset, ex senatusconsulto Graecas civitates liberas esse, fallaci libertatis dono tantum gaudium coortum est, ut nemo fraudem animadverteret<sup>54</sup>). T. Quinctius Flamininus, callidus in primis vir et rerum civilium peritissimus, post nuntiatam libertatem triennium cum exercitu in Graecia mansit, causa simulata, ut res Graecas institueret libertatemque tutaretur, revera ut rebus Romanis qua posset ratione consulere. Sane quum bellum contra Antiochum, Syriae regem, immineret, Graecorum societatem et auxilium, parcendo paulum et indulgendo iis, Romani sibi servare studuerunt, eosque non tam vi quam ficta libertate coercendos esse existimaverunt. At Antiocho devicto, quum bellum Macedonicum tertium gereretur, et paulo post legati a senatu in plurimas civitates Graecas missi nobilissimos patriaeque amantissimos viros falsis criminibus fraudibusque civibus suspectos facere, patria expellere, largitionibus promissisque patriae proditores subornare, perturbare civitates discordiis, pessimos quosque iuvare, opprimere bonos, dolo miscere omnia coeperunt. Quum artibus, dolis, fraudibus omnia essent debilitata, perturbata, fracta, consilium senatui in dies crevit, ea imperio suo subiiciendi, quae tum specie erant libera. Itaque in eodem isthmo corinthio, ubi quinquaginta ante annis pronuntiatam libertate ingens fuerat gaudium, tum omnis Graeciae libertas est extincta. Nam deleta Corintho Graecia in provinciae formam est redacta: Achaiae nomen ei inditum esse constat.

Sequitur ut exponam, qua prudentia senatus bella administraverit. Senatus bella gerere Romanis opportuno, hostibus iniquo tempore incipiebat. Deinde bella quam longissime poterat a finibus Italiae removenda, et hostium in terras transferenda curabat. Quo in genere bellum Punicum primum ut in hostium terra gereretur effecit, nec initio belli Punici secundi eadem pru-

<sup>53</sup>) Liv. XLV, 18.

<sup>54</sup>) Liv. XXXIII, 32—33. Plut. vit. Flamin. 14.

dentia non usus est, quippe qui unum consulem in Siciliam, alterum in Galliam mitteret: quamquam Poenus pari agens calliditate id consilium peremit. Neque vel tum, licet in Italia ipsa maximopere premeretur res Romana, senatus consueta ratione destitit: nam proximo anno maioribus etiam copiis Hispaniam invadi iussit, ut ea ipsa terra, unde Carthaginiensibus maxima erat belli materia, hostibus eriperetur. Et translato in Africam bello, Hannibal Italia decedere est coactus, fractae sunt Carthaginis vires. — Praeterea etiam ea arte utebatur senatus, ut socios sibi in iis terris, ubi bellum gerebatur, conciliaret. Quo in genere constat, quantopere in Carthaginiensibus devincendis adiutus sit a Masinissa, cui ut a Poenis deficeret prudentissime est persuasum. — At parvi hae quidem artes faciendae sunt, si cum iis comparantur, quibus in bellis cum Macedonibus et Syris gestis senatus est usus, ut deciperet alios populos, evitaret pericula sibi imminetia ac paene ita certa ut effugi non posse viderentur, dissociaret adversarios, alium aliis promissis a communi re abalienaret, foedera et amicitias dissolveret, discordias atque inimicitias concitaret, res perturbaret ubique, noceret omnibus, dummodo rebus rationibusque suis consulere. Quae artes quum nusquam planius ac luculentius inveniantur, quam in bellis illis, quae Romani cum Philippo Macedonum rege et cum Antiocho rege Syriae gesserunt, ea bella, quatenus prudentia artibusque senatus sint gesta, paulo uberius exponam.

Praeterit neminem historiae peritum, quantum conflatum sit Romanis periculum ab Hannibale, tot tantisque cladibus internecivis allatis, ut certe maximopere admirandi sint Romani, quod de salute non desperarent. At novum huic accessit periculum, quum Philippus Macedonum rex, copiis et pecuniis et ingenio multum pollens, cum Hannibale iunctus esset foedere et in Italiam ipsam exercitum traicere moliretur. Aucta pericula senatus mira prudentia et constantia vicit. Nam ut bellum contra Hannibalem prudentissime administrabat, ita ne tum quidem consilio consueto destitutus Philippum non opinantem petiit. Etenim tantum abfuit, ut, quamquam domi a Poenis quam maxime premebatur urgebaturque, Philippi regis exspectaret adventum, ut ipse novum adoriretur hostem et classem contra eum mitteret. Et quum Romani, senatus rationem secuti, Aetolorum et Eleorum et Lacedaemoniorum et Attali Pergami regis societatem sibi conciliavissent, Macedonum rex domi detentus prohibitusque est, ne in Italiam invaderet. Contra Romani, a sociis adiuti, suis exiguis viribus bellum contra Philippum sustinuerunt. Quum fere decennium esset bellatum, pax facile est a senatu impetrata, quippe qui, quum Punicum bellum summa virium contentione sustinendum esset, aliorum bellorum finem facere cuperet, quo prius certiusque gravissimus hostis, Poenus, devinceretur: quae pax etiam a Philippo eo facilius est facta, quum ei de industria conditiones haud iniquae concederentur. Nam Macedonum regem opportuno tempore iterum bello petere senatui fuit in animo. Bello Punico secundo feliciter gesto, et Carthaginiensium viribus pace composita ita fractis, ut in praesens nihil ab iis timendum esset, opportunissimum tempus esse senatui visum est Philippum in Macedonia et Graecia adorirendi. Accedebat quod optima erat occasio socios officiis devinciendi, quum Rhodios et Athenienses Philippus bello persequeretur. Itaque bello Philippo regi illato amicos adjuvare senatus visus est. Bellum statim in Philippi terram et adjacentes regiones transferri iussit. Quum bellum gereretur, Macedones omnibus fere privati sunt sociis, qui promissa libertate Romanis conciliabantur, in quibus Aethienses erant, qui antea Macedonum fuerant studiosissimi. Quum triennium bel-

latum esset, Macedonum rex devictus est, id quod pro ea qua a Romanis res gestae sunt prudentia exspectari poterat. Cui tantae senatus in rebus exteris administrandis prudentiae qui reges, quae gentes resistere potuerunt? Quicumque tum fuerunt viri rerum civilium periti, iis haud difficile fuit ad intelligendum, fore ut senatus, si ita ut inceperat pergeret, nullum populum invictum relinqueret, sed omnes gentes magis etiam arte quam armis superaret, superatas imperio suo subiiceret. Cuius rei mox dedit documentum. Nam devicto Philippo Macedonum rege iam non intra Europae fines senatus se continuit, sed etiam Asiam armis petere instituit. Antiochus enim Syriae rex senatui nimis crescere viribus videbatur, et ipsius imperio obstare. Causam belli haud difficili opera invenit: quum enim in pace cum Philippo facta non inconsulto esset statutum, ut Graecis civitatibus libertas restitueretur, Romani hanc conditionem ad eas quoque Graecae originis urbes, quae extra Graeciam sitae erant, pertinere dicentes ab Antiocho postulerunt, ut Graecas urbes in Asia sitas liberas redderet. Mira tum prudentia senatus periculosum hostium foedus peremit, quod Romanis instabat. Etenim Hannibal, quo rem publicam gubernante mirum quantum refoctae sunt Carthaginensium vires, cum Antiocho foedus facere conatus est. Cui foederi ne praeter Aetolos et alias nonnullas Graeciae civitates Philippus, qui duobus bellis victus Romanos imperare aegre ferebat, se adiungeret, Romanis valde timendum erat. Quod foedus Romanis profecto periculosissimum evasisset, quum et Antiochus Asiae opibus permultum valeret, et consilio suo Hannibal res administraret, qui bellum ut in Italia gereretur suadebat. At senatus Romani artibus factum est, ut Romani non effugerent modo illud periculum, sed perniciem etiam hostibus afferrent. Antiochus enim senatus calliditate omnibus sociis praeter Aetolos privatus, et plane deceptus est. Nam Hannibal, quum, senatus Romani constantia calliditateque e patria pulsus, ab Antiocho benigne receptus esset, per legatos a senatu missos suspectus regi factus est, ut prudentissima eius consilia repudiarentur. Ipsum Philippum senatus fefellit, quippe qui eum nonnullis officiis tributis sibi conciliaret, ne auxilio veniret Antiocho. Et minores Graeciae civitates metus Romanorum prohibuit, ne ab iis deficerent. Itaque paene solus Antiochus relictus nullius socii usus est auxilio nisi Aetolorum, qui satis a senatu decepti eius fraudes noverant: contra Romani e suis sociis, imprimis Rhodiis atque Eumene Pergami rege, quam plurimum utilitatis ceperunt. Qui quum esset rerum status, victus paene iam fuit Antiochus, antequam armis coeptum est dimicari. Quum tandem opportunum Romanis tempus esset hostis adoriendi, bellum geri coeptum est: regi bello superato et devicto ad Magnesiam pacis conditiones dictae sunt eae, quae plane eius vires debilitarent.

Non minor, quam in bellis administrandis, prudentia senatus Romani fuit in pacis conditionibus dicendis, praesertim ex quo ultra Italiam bella a Romanis gesta sunt. Nam eas pacis conditiones senatus dicebat, vel dictas ab imperatoribus Romanis ratas faciebat et ut populus iuberet suadebat, quae et cum rei publicae commodo, et cum temporibus maxime convenirent. Pacem concedebat minus iniquam populis exteris, donec iis parcendum erat: at quum debellatum esset et hostis devictus, pacem dabat iniquissimam et quae prorsus populi victi vires infringeret, ita ut haud immerito dixeris, hostium copias non magis esse proeliis fusas, quam populos ipsos pace prostratos ac profligatos. Primum enim naves hostium ut traderentur postulabat, ne quid Romanis, quippe qui mari non tantum quantum terra valerent, ab hostium navibus esset timen-

dum. Deinde pecuniam tam immanem solvi iubebat, ut opes exterarum civitatum funditus exhaurirentur; novaque arte pecunias cunctas non confestim, sed statutis pensionibus in complures annos solvendas curabat, callidissimo eo consilio, ut semper esset cum populo victo agendum. Tum terras bello captas ipse non statim ditone tenebat, quamquam eas imperio suo subiiciendi consilium haud omittebat, sed aut sociis dabat, aut liberas in speciem faciebat. Qua ratione et socios, qui praemio magno a senatu se affectos esse crederent, sibi amicissimos reddebat, et infestissimos iis, quibus regiones erant ademptae, ut inter utrosque vehementissimae controversiae orirentur. Denique senatus populum victum iniussu populi Romani bellum gerere vetabat. Postremo conditionibus multa addere solebat quibus opes hostium minueret, aut caveret, ne quid contra Romanos molirentur. Quarum rerum singula documenta eaque luculentissima proponere quum longum sit, omitto.

Venio ad id genus artium, quod quum summae senatus prudentiae, tum perfidiae turpissimae est plenum. Socios enim foedereque coniunctos ita tractare solitus est, ut nihil callidius possit aut perfidius cogitari. Conciliabat sibi socios amicitiam simulans; societatem initam tam diu servabat quam opus erat eorum auxilio; eos destituebat, deserebat, hostilem in modum tractabat, ubi iis non amplius parcendum esse censebat. Cuiusmodi calliditatis perfidiaeque exempla quam plurima historia perhibentur. Quo in genere mirandum in modum Rhodii decepti sunt. Rhodii in bellis contra Philippum gestis a Romanis steterunt, et invitati ab Achaëis ut pacem sibi aequam cum Macedonibus componerent, inconsultis Romanis nihil sibi suscipiendum esse censuerunt. Deinde in bello adversus Antiochum gesto, quum mari plurimum valerent, classe Romanos maxime adiuverunt, quam fidem senatus Romanus amplis praemiis affecit: nam Lyciam Cariamque usque ad Maeandrum flumen Rhodiis donavit. At mox senatus, quum amicissimum se Rhodiorum civitati esse simulavisset, apertum inimicum se praebuit. Nam Rhodios proditoris accusavit, quod in bello Macedonico tertio tam ancipites se praestitissent, ut magis a Perse quam a Romanis stare visi essent. Legati a Rhodiis ad senatum Romanum missi gratulatum de Macedonibus victis, quum petissent ut in curiam admitterentur, summa superbia a senatu reiecti sunt. Egressus e curia consul legatis in comitio stantibus e senatus decreto pronuntiat: „Sociis et amicis et alia comiter atque hospitaliter praestare Romanos, et senatum dare consuesse: Rhodios non ita meritos eo bello, ut amicorum sociorum numero habendi sint<sup>55</sup>.” Quibus auditis, quum legati omnes coram consule humi se prostravissent, et, postremo in senatum introducti, supplices se civitatemque suam purgavissent, tandem est, imprimis M. Porcio Catone eorum causam sustinente, a senatu impetratum, ut abiiceretur belli Rhodiis inferendi consilium. Callidissime a senatu legatis responsum est: nam ita dimissi sunt, ut Rhodii nec hostes fierent, nec socii permanerent<sup>56</sup>). Et Lycia Cariaque iis e senatusconsulto ademptae sunt. Sero intellexerunt Rhodii, socios Romanorum non esse nisi tamquam pilas, quibus luderet senatus Romani animus, callidus versutusque. Eadem fere, qua Rhodii, intemperantia, saevitia, perfidia Eumenes, Pergami rex, a senatu Romano tractatus est.

55) Liv. XLV, 20.

56) Liv. XLV, 25.

Romanis, quippe qui non tantum quantum terra velent, ab hostium navibus esse timen-